DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

APOPLEXIA SANGUINEA.

5

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
APOPLEXIA SANGUINEA;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS BALLINGALL,

SCOTUS,

COLLEG. REG. CHIRURG. EDIN. PERMISSUS
LEGIONIS XXXIII IN EXERCITU BRITANNICO NUPER CHIRURGUS;
ET
ALTISSIMO PRINCIPI EDWARDO DUCI CANTII
CHIRURGUS EXTRAORDINARIUS.

Hic enim breve spatium est, intra quod, si auxilium non profuit, æger extinguitur. CELSUS.

IV. Nonæ Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXIX.

VIRO SPECTATISSIMO

JOANNI BARCLAY, M.D.

COLLEG. REGII MEDICORUM EDIN. SOCIO,

AUCTOR.

Hanc alteram occasionem palam proferendi quantum tibi debeo, in rebus medicis præceptori clarissimo, in privatis amico præstantissimo, avide arripio.

Ut diu vivas, scientiam illam adornare, in quâ ad tam altum gradum ingenium et dotes te invexerunt, ab imo pectore voveo.

Edinburgi,
iv. Nonas Aug.

NECNON,

JOANNI ABERCROMBIE, M. D.

COLLEG. REGII CHIRURGORUM EDIN. SOCIO,

CUJUS OBSERVATIONES

DE PATHOLOGIA CEREBRI,

SUNT MAXIME ÆSTIMANDÆ;

HOC OPUSCULUM,

SUMMA OBSERVANTIA,

OFFERT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

APOPLEXIA SANGUINEA.

GEORGIO BALLINGALL Auctore.

PRÆFANDA.

MORBUS, de quo in paginis sequentibus animus est mihi tractandi, quia frequenter accidit, et sæpe cum eventu lethali, multum studii a medico practico sibi postulat. Neque hæc res difficultatis expers est, nam post indagationem multam et sedulam per complures annos a nonnullis doctissimorum et sapientissimorum in arte medica, nuper audivimus præclarum medicum lugere

"non

"non esse in medicinæ scientia ullam rem in ma-
"jore caligine involutam quam apoplexiæ pa-
"thologiam *."

In re tam obscura, ubi plurimi viri illustres frustra conati sunt, me spem habere ejus arcana explicandi haudquaquam deceret. Statutis autem hujus Academiæ unumquemque summos honores in medicina ambientem aliquam rem medicam tentare postulatur; et inductus sum Apoplexiam seligere, quod observationes de hac re scriptoris ingeniosi, supra citati, summa cum voluptate nuper legissem.

DE NOMINE ET DEFINITIONE.

Morbus, quem volumus describere, nominibus variis appellatur; scilicet, Apoplexia, Sideratio, Percussio, Ictus Sanguinis, et Morbus attonitus, omnia quorum ad impetum repentinum et improvisum præcipue spectant; nam æger, cum in bona valetudine appareat, et longa vita frui speret,

* Abercrombie's Researches on the Pathology of the Brain.—Edinburgh Medical Journal, No. 58. p. 553.

ret, percussus præmatura morte sine suspirio aut gemitu sæpe occumbit *.

Hic morbus a celeberrimo nosologo, qui hanc Academiam olim ornavit, in classe Neurosium et ordine Comatum locatus, et ab eo ita definitus est: "Motus voluntarii fere omnes imminuti, cum "sopore plus minus profundo, superstite motu cor-"dis et arteriarum †."

Multæ species annexæ sunt, quorum præcipuæ sunt *Sanguinea*, *Serosa*, et Apoplexia *Traumatica*. Primam tantum tractare propono, quia, an secunda species existat (saltem in sensu multorum auctorum) valde dubium est, et nominatur magis ab aspectibus quos dissectio ostendit, quam ab ullis signis quæ hanc formam morbi, vita durante, monstrare possunt. Tertiam speciem, ad artem chirurgicam pertinentem, a meo proposito alienum esset hoc in loco tractare.

DE

---

* Cheyne on Apoplectic and Comatose Diseases, p. 3.

† Culleni Nosologia Method. Editio tertia, pag. 182.

DE SIGNIS ET EXITU MORBI.

Apoplexia sæpenumero certis signis præceditur, quæ intento observatori adventum indicant; qualia sunt frequens cephalalgia, vertigo, mentis perturbatio, memoriæ jactura, titubatio, et sermonis vires imminutæ; visus imperfectus, aliquando duplex, cum aspectu labecularum nigrarum, interdum scintillarum in aëre fluctuantium; aurium tinnitus; epistaxis, et olfactus imminutus; artuum torpor et immobilitas; somnolentia, incubus, et somnia horrifica.

Ordo symptomatum præcedens imminutionem vel distributionem inæquabilem vis nervosæ denotans, nisi medico obvius, sæpe negligitur; et tunc Apoplexia utpote aggressio repentina supervenit. Accessio ejus vultu tumido, livido, et vacuo notatur; pupillæ forsitan inæqualiter dilatatæ sunt, et lucis aditui parum mobiles, oculi hebetes, et flaccidi fiunt; os sæpe non clausum est, et saliva ex uno latere ejus profluens; respiratio tarda, laboriosa, abnormis et cum stertore; aliquando per pauca momenta temporis suspensa, et tum cum suspirio gravi perficitur, ex-

piratione

piratione diu protractâ et cum specie sufflationis finitâ, quæ labra flaccida cum motu tremulento protrudit. Pulsus, primo plenus, validus et tardus est; postea, celerior et debilior, inæqualis, abnormis vel intermittens evadit. Artus plerumque valde relaxantur, et omnimodis facile mobiles. Sphincteres recti et vesicæ, quoque, relaxati, exitum invitum fæcum et urinæ, in formis asperis aut gradibus provectioribus morbi faciunt *.

Signorum supradictorum observatio sedula in Apoplexia præcipue necessaria est; propterea quod æger plerumque facere nos certiores status sui minime valet; interdum nullis modis, interdum summa cum difficultate excitari potest; percontationibus nostris breviter respondet, iterumque in stuporem relabitur, a quo forsitan nunquam sit recuperaturus. Licet enim in paucis exemplis felicioribus, ubi nulla prædispositio existit, et cum impetus ex aliâ causâ adventitiâ pendet, nonnulli superstites fuerint, morbus plerumque lethaliter terminat. In aliis, quidem, æger

* Hall on Diagnosis, p. 125.

æger cum hemiplegiâ evadit, vel certe cum alicujus sensus aut animi facultatis amissu. Recidivo tamen morbo plerumque obnoxius restat; et, fractis viribus corporis et animi, exemplum miserabile imbecilitatis humanæ sæpe nobis præbet: "Who does not sigh over the fairest at-
"tributes of man in eclipse,—the touching spec-
"tacle of intellectual greatness in ruins *."

DE SECTIONE CADAVERUM.

Secando tegumenta cranii ægri qui Apoplexiæ occubuerat, multi sanguinis effusio plerumque observatur, et sectione calvariæ cum serra finitâ, pars ossis superior cerebro turgido nonnunquam elevatur; et si ullus sinuum patefactus fuerit, magna copia sanguinis effluet. Calvariâ remotâ, Dura Mater secto margini ossis impendens sæpe videtur; tota ejus superficies sanguineis punctis numerosis stellata est, quæ dilatationem vasorum satis

* Edinburgh Medical and Surgical Journal, No. 58, p. 115.

satis notant. Tunica Arachnoides pelluciditatem suam demisisse dicitur, et effusio serosa, interdum coloris expers, interdum turbida vel cruenta, inter hanc membranam et Piam Matrem haud raro invenitur. In convolutionum cerebri interstitiis, hæc membrana distentionem notabilem vasorum plerumque ostendit. Ubi dissectio autem haud caute peracta fuerit, hæc res, propter lacerationem vasorum cum dentibus serræ, non sese ostendit.

Cerebrum præter naturam densum sæpe apparet, ac inter secandum numerus punctorum sanguineorum dimensiones auctas ejus vasorum demonstrat; Ventriculi, multis in ægris Apoplexiâ ereptis amplificati, et cum liquido distenti, reperiuntur. In magno numero apoplecticorum sanguis in aliquam partem encephali effusus invenitur: aliquando in Ventriculos; et aliquando in cerebri materiam ipsam; frequentissimè ab arteriæ mediæ cerebri ramulis, quæ in ejusdem cerebri variis locis rupta sæpe observatur, ac ita diversis coagulis sanguineis originem præbet. In Cerebello sanguis extra venas effusus rarius incidit; in exemplis tribus vel quatuor autem a Doctore CHEYNE, aliisque auctoribus quoque, observatus est.

Licet

Licet sanguis effusus aut in superficiem, aut in materiam cerebri apoplecticorum, non rarus sit; exempla haud desunt, ubi morbus sine tali effusione fataliter terminavit, et ubi in sectione capitis nihil præter naturam, nisi vasorum totius cerebri incrementum repertum est. Hæc, quoque, distentio vasorum in membranis Ventriculos tegentibus, et in Plexu Choroideo interdum est æque obvia. Hic tamen, in eadem conditione non semper apparet, at albidus et sanguine expers nonnunquam reperitur.

Omnia signa morbida supra memorata, habitu ægri, tempore quo impetui æger superfuerit, et intervallo inter mortem et cadaveris incisionem, multum variantur: atque dissectiones a plurimis scriptoribus traditæ, observationem adeo antiquam, ut cui pertineat nescio, confirmare tendunt; videlicet, ubi æger, primo impetui superstes fuit, ac postea hemiplegiâ implicitus, morbida signa in latere cerebri reperiuntur, contrario illi in quo paralysis extitisset.

DE

DE CAUSIS PRÆDISPONENTIBUS.

HARUM præcipuæ sunt labes hæreditaria, morbi præcedentes, quales Podagra, Epilepsia, &c.; ætas provectior, præsertim a quadragesimo ad sexagesimum annum *; obesitas onerosa; corpus studio vel curâ nimiâ enervatum; caput magnum cum brevi collo; habitus sedentarii et studiosi; epulatio, et ebrietas frequens; alvi constipatio; et evacuationes suppressæ, quales sudoris, hæmorrhoidum, atque ulcerum veterum: venæsectio etiam periodica (consuetudo nunc feliciter obsoleta), sine dubio multis in exemplis Apoplexiæ favet.

* BURSERIUS's Institutions, by Brown, vol. iv. p. 86.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Causæ excitantes sunt omnes res, quæ cordis et arteriarum actionem, aut sanguinis in cerebro volumen augere tendunt, vel ejus fluxum in hoc organon promovendo, vel ejus refluxum de capite impediendo.

Earum, quæ in priore modo agunt, sequentes præcipuæ sunt. Exercitationes vehementes, currendo, saltando, atque luctando; quæ impetum cordis et arteriarum augent, contractionem et tumorem validum musculorum artuum producunt, eoque sanguinem in vasis horum musculorum pro tempore minuunt, et cerebri vasa vehementer implent; vocis omnes usus inordinati; quodcunque respirationem constringere videatur, et sanguinis fluxum per pulmones impedire; hinc loquela longa et clamosa, instrumentorum musicorum inflatus, risus immoderatus, et tussis crebra, Apoplexiæ causæ excitantes fiunt.

Motus animi effrænati, præsertim ira, quæ vultûs aspectum ferocem inducit, arterias carotideas et temporales vehementer pulsare, oculos

volvere, et aures tinnire facit, morbi causa excitans esse sæpe observata est.

Calor externus; expositio corporis ad solis radios longa et continua (cujus impulsum in India Orientali sæpe observavi,) cœtus magni, et theatra conferta, causæ excitantes hujus morbi sunt.

Ebrietas, omnium aliorum forsitan causa Apoplexiæ frequentissima est, vim cordis et arteriarum excitando, temperiem corporis elevando, et omne genus nervosum valide incitando.

Causarum, quæ reditum sanguinis e cerebro impediunt, situs corporis, sistere capite inverso more saltatorum, et ligamina circa collum nimis arcta, præcipuæ sunt. Harum novissimarum exemplum memorabile a KORTUM traditur, in cohorte Suedica, cujus multi, suo duce coacti strophiolis constrictis uti, apoplexiâ mortui sunt. *

DE

* KORTUM de Apoplexia Nervosa, pag. 20.

DE RATIONE SYMPTOMATUM.

Effusio modo sanguinis modo seri in cerebrum, rationem lethalis exitûs nobis præbet; hinc etiam in Apoplexiam Sanguineam et Apoplexiam Serosam morbus divisus est; quæ divisio scriptoribus veteribus sæpe prolata est, sed quam scriptores recentes ac celeberrimi valde dubium fecerunt; ab his quidem seri effusio in cerebrum magis effectus quàm causa morbi, magis actionis morbidæ terminus, quàm signorum morbidorum causa excitans, fuisse habetur.

Sed in Apoplexiæ historia (quod sit maxime notabile), exitus lethalis sæpe accidit ubi dissectio nullum aspectum morbidum nobis patefacit. Hinc multæ doctrinæ ingeniosæ locus invenitur. Spirituum animalium imminutio, vel tenacitas aucta, et inde per tubas nervosas cursus difficilior, sensûs et motûs defecti, rationem dare olim habebantur. Doctrinam autem spirituum animalium, ac leges, quibus transmissi sunt, melius relinquere foret, donec illos existere nobis probatum sit; melius est, meo judicio, nostras cogitationes de hac re non extendere ad terminum

quem

quem nonnulli attingere volunt, sed de rebus quas dissectio ostendit, ratiocinari.

In disquisitione recenti Doctoris ABERCROMBIE de Cerebri Pathologia, interrupto circuitui sanguinis in eo phænomena apoplexiæ tribuuntur, atque ab illo sapientissime additur: "In "what manner these disorders of circulation af-"fect the nervous system, and cut off all inter-"course betwixt the external world and that "mysterious part of our being, which thinks, and "wills, and reasons, is a point in the arrange-"ments of the Almighty Creator, which must ever "elude our most eager researches *."

Ad opinionem de ratione symptomatum confirmandam, multa argumenta valida a Doctore ABERCROMBIE sunt prolata; de modo etiam in quo capacitas inæqualis inter cerebri arterias et venas circuitum impeditum faciet, explicationem pulcherrimam dedit. Adversatur tamen doctrinæ hodiernæ de sanguinis aucto impetu ad vasa cerebri, quem (multâ autem observan-

tiâ

* ABERCROMBIE's Researches, Edinburgh Medical Journal, No. 57. pag. 583.

tiâ erga auctorem tam celeberrimum) sustinere mihi lubet.

Doctor ABERCROMBIE sic scribit: "The "blood being propelled in every direction by an "impulse primarily derived from the heart, it "is not easy to conceive how, in the natural state "of the parts, it should be propelled to the head "with greater force, or in greater relative quanti- "ty, than to any other part of the body*." Verisimile autem mihi apparet, auctum impetum ad vasa capitis circuitui naturali minime convenientem esse, ac solummodo videtur, cùm hæc vasa ita enormiter agunt, ut sanguinem, viribus suis auctis simul cum impetu prius a corde recepto vehementer propellant. Hinc in omni inflammatione; in Ophthalmia præsertim, cùm vasa in tunica conjunctiva sanguine rubro distenduntur; in suffusione vultûs propter pudorem, aliasve causas; in erectione penis; in utero gravido; ac in aliis conditionibus et sanis et morbidis, exempla aucti impetûs in arteriis propriis nobis præbentur; quanquam sanguis

---

* ABERCROMBIE's Researches, Edinburgh Medical Journal, No. 57. p. 571.

sanguis in arterias earum partium primo a corde propulsus fuisset haud majore impetu, quàm in alias arterias. Videtur mihi, igitur, auctum impetum sanguinis in arteriis cerebri ipsius, atque in iis id versus sanguinem vehentibus, inter causas frequentissimas circuitûs impediti habendum esse; ad quam impeditionem Apoplexiæ phænomena a Doctore ABERCROMBIE recte sunt tributa. Nam certum est, conditionem sanam cerebri circuitûs ad munera ejus rite fungenda maxime necessariam esse, et quæ ab interruptione apoplexiæ et ab imminutione syncopes est æque remota. Hæc morâ sanguinis etiam effusionem faciet, quam dissectio sæpenumero ostendit; in aliis cavis corporis enim hic impediti circuitûs effectus haudquaquam inusitatus est, sicut in Hæmoptysi et Hydrothorace, circuitu per pulmones interrupto. A fortiori, igitur, in cerebri tenera structura effusio magis timenda est, ubi, musculorum actione circumjacentium et aëris compressione absentibus, fluxui sanguinis insolito a tunicis arteriarum solis resistitur.

"Equilibrium circulationis," dictum nuper usitatum, ad hanc rem maxime idoneum videtur. Et in Apoplexia hoc equilibrium subversum esse

credere

credere nos oportet. Ad quem opinionem eo magis proni sumus, quia equilibrium ante morbi accessionem aliquamdiu vacillans fuisse, multæ res monstrare tendunt; qualis cephalalgia, arteriarum carotidarum et temporalium palpitatio, aurium tinnitus, ac alia symptomata ante memorata. An hæc exempla Apoplexiæ lethalis, in quibus nihil præter naturam cerebri dissectione ostenditur, sunt exponenda, ab hypothesi cerebri ita ad læsionem naturaliter prædispositi, ut mors incidat sine morbidæ structuræ vestigiis ullis, asseverare non sum paratus: "And reflecting on "the delicacy of the functions of the brain, and "the facility with which they are abolished, I "think that until we possess a more intimate "acquaintance with its healthy structure, it "would be too confident a presumption in our "own knowledge, to say when it is sufficiently "diseased to have been the cause of death *."

DE

* Wood's Cases of Typhus, Edinburgh Medical Journal, No. 59. p. 231.

DE DIAGNOSI.

Morbi, quibus Apoplexia maximam similitudinem habet, sunt Paralysis, Epilepsia, Syncope, et Ebrietas.

A Paralysi, stertore, stupore profundo, et perditione virium movendi, distinguitur. Hi morbi, tamen, multis auctoribus, et præsertim a sagacissimo Heberden, tantum diversi gradus ejusdem morbi habentur*.

In Epilepsia musculi convelluntur, dum in Apoplexia relaxati et impotentes fiunt. Epilepsia sæpe aurâ epilepticâ, at Apoplexia nunquam, præceditur. Epilepsiæ juvenes, quorum pulsus parvus et debilis est, Apoplexiæ autem homines ætatis provectæ pulsu pleno et tardo, magis obnoxii sunt.

Syncope, cùm vultus pallidus et exsanguis est, in debilibus et infirmis ab evacuationibus, sæpe oritur. At Apoplexia floridis et validis, sæpenumero ab ingurgitatione nimia, ludis violentis, vel ira effrænata accidit. In priore

 cordis

* Gulielmi Heberden Commentarii, &c. pag. 285.

cordis et arteriarum pulsus vix percipiendus: In posteriore, tamen, plerumque maxime perspicuus est.

Ebrietas Apoplexiæ causa tam frequens, et paroxysmus ebrius ad Apoplexiam tam propinquus est, ut discrimen vix, et ne vix quidem, appareat. Caute tamen est observandum an spiritus vina olet, an stimulis diversis applicatis æger potest excitari, an aditui lucis pupillæ sunt mobiles, quæ omnia paroxysmum ebrium monstrare pertineant; notatu quoque dignum est, ebrietatem plerumque decem aut duodecim horis paulatim evanescere.

DE PROGNOSI.

Ex habitu ægri, et ex causis excitantibus morbi, prognosis suam formam plerumque habet. Ubi nulla prædispositio hæreditaria existit, et cùm ex aliâ causâ adventitiâ facile removendâ impetus pendeat, fauste prædicare potest. Symptomata exitum felicem notantia sunt, sensus parum fracti, respiratio haud multum mutata, et sanguinis e naribus vel vasis hæmorrhoidalibus profluvium.

Hic

Hic morbus, tamen, ex forma propria corporis, arte medica non removenda, tam sæpe pendet, ut prognostica plerumque infausta sint; præsertim si accessio cum magno dolore capitis aggreditur *, si sensus solito hebetiores sunt; si facultas devorandi amittitur, et difficultas respirationis magis magisque augetur. Frigiditas artuum, fluxus salivæ, sudores viscidi, et exitus invitus fæcum et urinæ, inter lethalia symptomata quoque æstimata sunt.

DE CURATIONE.

"Λυειν Αποπληξιην ισχυρην μεν αδυνατον ασθενεα "δε ȣ ρᾳδιον †." Talia sunt verba HIPPOCRATIS, quibus fere omnes assentire videntur; licet enim in curatione raro felices sumus, morbus inter opprobria medicorum minime habendus est.

Methodus medendi, de qua supra dictum est, sese obvium profert. Onus a vasis cerebri removere,

---

* CHEYNE on Apoplectic and Comatose Diseases, p. 18.

† HIPPOCRATIS Aphorism. 42. Sect. 2.

movere, et conditionem sanam inter capitis arterias et venas restituere, res efficienda est.

Venæsectio ad hanc rem, auxilium artis medicinæ longe utilissimum est, et commodum quod ægris adfert usum ejus medicis plurimum commendat; hinc ab ea haud facile deterrendi sumus, atque nunquam oblivisci debemus ut in apoplectico, in quo morbus fauste terminatus est, sanguinis sex vel octo libræ fuerint amissæ *: Et exemplum a Lancisi memoratur, in quo æger Apoplexiæ pronus sanguinis fluxu e naribus ad libras undecem levatus fuit; atque ex morbo prorsus liberatus iterato fluxu quatuor librarum.

Opiniones diversi sunt de modo optimo sanguinis detrahendi; sed ubi venæsectio in omni forma tam eximie utilis est; et ubi missio opportuna et larga morbum tam sæpe aut levat aut superat, ei modo, a quo nostrum propositum facillime efficiatur, nos oportebit anteferre; ob eam causam venæsectionem in uno vel ambobus brachiis eodem tempore commendarem. Sanguinis missionis e vena jugulari, vel ex arteriâ

* Cheyne on Apoplectic and Comatose Diseases.

teriâ temporali fautores sunt multi; prior tamen, sine compressione noxia vasorum cervicis vix instituenda est, atque ulteriore missio satis celeris et larga vix expectanda est.

Argumento contra venæsectionem, ne Apoplexia serosa sit, in verbis insignis Doctoris CHEYNE, tantum respondebo: "Those who object to bloodletting in apoplexy, lest the attack should be of the serous kind, are bound "first to teach us how to distinguish this species; and secondly, to prove that bloodletting "is injurious to a patient in serous apoplexy; "neither of which they have done *."

De emeticis multum certamen in apoplexia extitit. Horum remediorum usus in hoc morbo forsitan allatus fuerit, quia Apoplexia tam sæpe ex ebrietate vel ingluvie suam originem habet. Si utravis harum impetum induxerit, incipiendum esse morbi causam excitantem removendo speciosum apparet, ac certe emeticorum usus ventriculum gravatum exonerando expeditissimus est. Sed in vomendi actione, capite demisso, dolor sentitur,

* CHEYNE on Apoplectic and Comatose Diseases.

sentitur, qui sanguinis copiam inusitatam indicare videatur, ac cum sanguinis influxu aucto vasa cerebri jam sint turgida, et ad rupturam nimis propensa, Apoplexia lethalis, quæ aliter non evanuisset, usu emeticorum effici potest.

Emetica quidem ab illis præcipue commendata sunt, qui putant morbum sæpenumero esse serosum. Cùm autem morbum esse sanguineum tam sæpe videamus, oportet ut illi primo describant, quibus notis species Serosa distingui posset, et quibus signis emetica indicantur. Testimonia his remediis faventia perpauca sunt; dum exempla multa calamitatum ex vomitu ortarum a MORGAGNI, BURSERIO, aliisque memorata sunt.

Purgatio alvi in Apoplexia ab omnibus celeberrimis, qui de hoc morbo scripserunt, commendata est. Commoda multa secum affert, et sine periculo quod tam sæpe vomitum sequatur. Ut eorum beneficia celeria atque potentia essent, cathartica liberâ manu administranda sunt, qualia Submurias Hydrargyri, Aloë, Jalapa, sales medii, &c. quorum acriora anteponenda sunt, ut in minore quantitate sumantur cùm facultas devorandi læsa sit; et quia ab his viscera torpida apo-

plecticorum

plecticorum motu sunt faciliora. Eodem consilio enemata purgantia libere injicienda sunt.

Affusio aquæ frigidæ super caput in Apoplexia, remedium esse videtur utilissimum, et fortasse nimis neglectum. Ex observatione Doctoris Abercrombie, eventus felicissimi ab usu ejus in cerebri inflammatione chronica orti sunt *, et in *coup de soleil*, quod in India Orientali frequenter accidit, (et Apoplexiæ, ut mihi videtur, maxime propinquum est,) subsidium celerrimum et obvium ex affusione frigidâ iterum iterumque observavi.

Vesicatoria ab usu multo commendata sunt; meo judicio autem melius differenda, donec morbus evacuationibus liberis cesserit. Et loco capiti vesicatorium admovendi, quod usum affusionis frigidæ prohibet, applicationi vesicatorii cervici posteriori vel inter scapulas anteponerem. In his locis etiam fonticuli e partibus vesicatis facile instituti sunt, qui horum remediorum beneficia extendunt.

Dum

---

* Abercrombie on Chronic Inflammation of the Brain, Edinburgh Medical Journal, No. 55. p. 325.

Dum hæc remedia assidue applicantur, æger capite elevato, ac vestimentis præsertim circa collum laxatis, in dormitorio frigidulo ponendus est.

Si his modis ægrum ad usum animi et corporis restituere possimus, omni argumento nobis utendum est, ut illi persuadeatur vita et salute posse tantummodo frui quotidianâ curâ cibi, potionis, et animi affectionum. His rationi et experientiæ rite subjectis, in seipso felix, aliisque utilis, complures annos forsitan vixisset. Modus vivendi autem diversus morbum certe reducet, de omni cujus recursu salus magis magisque periclitabitur.

FINIS.